

DE
C. LUCILII VITA ET CARMINIBUS.

DISSERTATIO
QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE VIADRINA
PRO
SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XV M. JANUARII ANNI MDCCCXLII HORA X
publice defendet

AUGUSTUS PETERMANN,
SILESIUS.

CONTRA DISPUTABUNT:

A. BAUCKE, SEM. PHIL. NUPER SOD.
G. KÆMMERER, SEM. PHIL. SOD.
E. TEUBER, SEM. PHIL. NUPER SOD.

VRATISLAVIÆ.
TYPIS HENRICI RICHTERI.

Præfatio.

Inter satiricos Romanorum poetas nullus videtur esse, cuius vita atque carmina explanatione accurata magis egeant, quam C. Lucilius. Iam magnae illae laudes, quas huic poetae omnes fere Romani tribuerunt, viros doctos admonere debebant de fragmentis eius diligentius perscrutandis. Accedit, quod inventor est novi poesis generis, in quo uno Romani Graecas Musas contemnentes suo Marte elaboraverunt. Videtur autem conditio satirarum Lucilianarum viros doctos deterruisse, quominus in iis pertractandis operam suam collocarent. Satirarum enim nulla integra servata est, sed omnes laceratae atque in pannos miserabiles disiectae ad nos pervenerunt; partem autem longe maximam fragmentorum servavit Nonius Marcellus: is vero quam parum diligenter veterum scriptorum sententias atque verba in rem suam converterit nemo est, qui nesciat. Ita factum est, ut post Francisci Dousae curas nemo Lucilii fragmenta illustaret. Non indigna autem sunt huius poetae fragmenta, quae a viro docto iterum colligantur et explanentur. Interim ego hoc li-

bello editori alicui futuro nonnulla, quae ad poetae vitam satirasque paullo accuratius, si fieri potest, definiendas pertinent, suppeditabo. Acturus sum autem:

I) De C. Lucilii vita.

II) De C. Lucilii carminibus.

1) De carminum generibus.
2) De indole poesis Lucilianae.
3) De argumento librorum.
4) De forma atque inscriptionibus librorum.



I. De vita C. Lucilii[1]).

C. Lucilius[2]) natus est a. 148 a. C. secundum Euseb. Chronic. ad Ol. 158, 1 et ad Ol. 169, 2: *Caius Lucilius, Satirarum scriptor, Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis XLVI.*[3]) Natum eum esse Suessae Auruncorum con-

1) De vita Lucilii scripserunt: Fr. Dousa: C. Lucilii reliqq. Lugd. Bat. 1593. p. 97 sq. Gerardus Joannes Vossius: De veterum poetarum temporibus libri duo. Amstelod. 1654. Lib. II. p. 11 sqq. Caspar Sagittarius: Commentatio de vita et scriptis Livii Andronici etc. Altenburg. 1672. p. 48—55. Pierre Bayle: Dictionnaire historique et critique ed. a. 1740. Tom. III. p. 200—203. Jo. Fabricius: Biblioth. Lat. ed. Ernesti. Tom. III. p. 230 sqq. Nonnulla ad vitam pertinentia tradidit Varges in Mus. Rhenan. phil. Tom. III. a. 1835. *Specimen Quaestionum Lucilianarum.* p. 15—69.

2) De scriptura *Lucilius* et *Lucillius* cf. Varges in Mus. Rhen. phil. Tom. III. p. 21 sqq.

3) Nonnulli viri demonstrare conati sunt Eusebium in enumerandis annis errasse. Quod ad annum, quo Lucilius natus esse dicitur, attinet, putat Baylius l. c. p. 201 Lucilium ante annum 148 a. C. natum esse, propterea quod Velleius Paterculus II, 9 narret eum *equitem* bello Numantino militasse, quo anno (134 a. C.) Lucilio iuveni vix XV annorum nondum licuerit stipendia merere. Haec etiam Wuellnero *De Laevio poeta* in Diar. scholast. Darmstad. a. 1830 No. 155. 156 erat causa, cur de anno, quo Lucilius natus esset, dubitaret. Is simul aliud protulit argumentum, quo probaret Lucilium ante annum 148 natum esse. Leguntur enim apud Horat. sat. II. 1, 71 sqq. haec:

Quin ubi se a vulgo et scena in secreta remorant
Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
Nugari cum illo et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, soliti.

cluditur ex Juvenal. sat. 1, 19 sq. et Auson. Epist. 15, 9. 10. Juvenalis verba sunt:

> Cur tamen hoc potius libeat decurrere campo,
> Per quem magnus equos Auruncae flexit alumnus.

Quis alius intelligi potest quam Lucilius? Videmus enim a Juvenale poetam significari, qui in satiris scribendis magnopere excelluerit.[1]) In scholiis ad h. l. (cf. Juvenal. ed. Heinrich. Tom. I. p. 157.) haec leguntur: *Turnum dicit, Scaevae Memoris, tragici poetae, fratrem. Turnus hic, libertini generis, ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum, Titi et Domitiani. Vel Lenium dicit, qui et ipse satyras scripsit; vel Silium, et ipsum sui temporis satyricum. Qui omnes ex Aurunca fuerunt.* Sed hos poetas Iuvenalis vix *magnos* dixerit. Rectius in Crameri scholiis[2]): ***Magnus**, quoad ingenium. Dicit de Lucilio, qui fuit ex Affrunca.* Accedunt ad patriam Lucilii definiendam verba Ausonii Epistol. 15, 9. 10.

> Rudes Camoenas qui Suessae praevenis
> Aevoque cedis, non stilo.

Ad quem locum adnotat schol Cruq.: *Scipio Africanus et Laelius feruntur tam fuisse familiares et amici Lucilio, ut quodam tempore Laelio circum lectos triclinii fugienti Lucilius superveniens eum obtorta mappa quasi feriturus sequeretur.* Dicit Wuellner Lucilium, si a. 148 natus esset, nimis iuvenem fuisse, quam ut tali amicitiae locus esse potuisset. (Scipio enim mortuus est a. 129.) Neque verisimile esse Lucilium iam hoc tempore clarum poetam fuisse. Quod ad militiam attinet, extra dubitationem positum est interdum iuvenes Romanos etiam ante sumptam togam virilem, i. e ante annum aetatis XVII stipendia meruisse. Cf. Liv. XXII, 57, 9. Serv. ad Virg. A. X, 800. Varges l. c. p. 35 sq. Altera vero causa quam sit infirma, quisque videt. Nam cur non viris cum iuvene ingenuo familiariter vivere licuerit, non liquet. Deinde si Wuellner dubitat, num Lucilius Scipione vivo iam magnam gloriam adeptus sit: responderi potest neminem esse, qui Lucilii gloriam iam tum magnam fuisse narraverit.

1) Cf. Lucil. fragmm. ed. Dousa. p. 98.

2) In D. Junii Juvenalis satiras commentarii vetusti. Post P. Pithoei curas auxit etc. Cramer. Hamburg. 1823. p. 575.

Est enim scripta haec epistola ad Tetradium quendam, satiricum poetam. Verbis *Rudes Camoenas* et *aevoque cedis* nullus alius satiricorum poetarum significari videtur quam Lucilius. Ante Jos. Scaligerum pro *Suessae* legebatur *suesse*; sed *Suessae* videtur certissima esse coniectura. Cf. Josephi Scaligeri Ausonianarum lectionum libri duo. Excudebat Jacobus Stoer. 1595. p. 115 sq.[1])

Lucilius haud dubie nobili familia ortus erat. Cf. Vellei. Paterc. II, 29, qui de Pompeio Magno narrat: *Fuit hic genitus matre Lucilia stirpis senatoriae.* Scholiasta Cruq. ad Horat. sat. II, 1,75.

Infra Lucili censum ingeniumque.

dicit: *h. e., etsi non sum eorum natalium, quorum Lucilius fuit: constat enim Lucilium maiorem avunculum Pompeii fuisse; etenim avia Pompeii soror Lucilii fuerat.* Jam adolescentulus familiaritate intima coniunctus fuisse videtur cum Scipione Africano minore. Notum est Scipionem litteras valde amasse et cum philosophis atque eruditis viris familiariter vixisse. Ita usus est consuetudine Laelii, Panaetii, quem domi habebat,[2]) Polybii,[3]) aliorum. Videntur autem Scipionem Lucilii, quamvis hic iuvenis adhuc esset, dicacitas atque facetiae delectasse, ita ut eum inter numerum amicorum suorum reciperet. Quam familiariter eum discrimine et dignitatis et aetatis sublato amplexus sit, dicit Horatius sat. II, 1, 71 sqq.[4]) Cum Scipio contra Numantinos bellum gereret a. u. 620, Lucilius eques stipendia meruit.[5]) Recte sentire videtur Varges[6]) Lucilium a Scipione in amicorum cohortem receptum esse.[7])

---

1) Cf. Varges in Mus. Rhen. phil. p. 47 sq.
2) Cicer. pro Muren. 31, 66.
3) Cicer. de Rep. I, 21, 34.
4) Cf. schol. ad h. l.
5) Cf. Vellei. Paterc. II, 9.
6) In Mus. Rhen. phil. l. c. p. 37.
7) Appian. VI, 84. *Ὁ Σκιπίων αὖθις ὑπατεύων ἐς Νομαντίαν ἠπείγετο· στρατιὰν δ᾽ ἐκ καταλόγου μὲν οὐκ ἔλαβεν πολλῶν τε πολέμων ὄντων καὶ πολλῶν ἀνδρῶν ἐν Ἰβερίᾳ· ἐθελοντὰς δέ τινας*

Bello confecto rediit Romam et familiarissime cum Scipione et aliis nobilibus Romanis vixit. Quomodo post mortem Scipionis Lucilius vitam degerit, nescimus. Quo anno mortuus sit, dicit Eusebius ad Ol. 169, 2: *Caius Lucilius, satirarum scriptor, Neapoli moritur ac publico funere effertur anno aetatis XLVI.* Mortuus est igitur a. 103 a. C.[1])

Jam vita breviter descripta quaerendum est de moribus poetae. Erat autem Lucilius unus eorum, qui, dum mores Romanorum in dies depravabantur, maiorum castitatem atque integritatem servabant. Multa fragmenta animum atque honestatem Lucilii aperiunt. Cf. Dous. inc. 1.

Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum,
Contra defensorem hominum morumque bonorum etc.
Commoda praeterea patriae sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia iam postremaque nostra.

Omnino respuit libidines atque vitia, uni virtuti favet; ubique bene praecipit. Cf. Fragmm. ap. Dous. XXVI, 59. XXVII, 4. Num dubitabimus eum, qui talia praeceperit, honestum atque urbanum virum appellare? Qua morum sanctitate videtur factum esse, ut in amicitiam nobilissimorum virorum reciperetur.

ἔκ τε πόλεων καὶ βασιλέων ἐς χάριν ἰδίαν πεμφθέντας αὐτῷ συγχωρούσης τῆς βουλῆς ἐπηγάγετο καὶ πελάτας ἐκ Ῥώμης καὶ φίλους πεντακοσίους, οὓς ἐς ἴλην καταλέξας ἐκάλει φίλων ἴλην etc.

1) Etiam de anno, quo mortuus sit, nonnulli dubitaverunt. Cf. Baylius l. c. Commemoratur enim apud A. Gell. N. A. II, 24 lex Licinia sumptuaria, cuius mentionem fecit Lucilius his verbis: *Legem vitemus Licini.* Hanc legem assignat Baylius sine ratione idonea anno 656 u. c. et concludit Lucilium post hunc annum demum mortuum esse. Simul dicit verba Horatii sat. II, 1, 34 *vita senis* non intelligi posse, nisi statuatur Lucilium post annum 103 a. C. mortuum esse. Etiam Heindorfius ad l. Horat. Baylio assentitur et senectutem Lucilii intelligit. Sed ut res nunc comparatae sunt, non est, cur de testimonio Eusebii dubitemus. Nam decerni non potest, quo anno lex Licinia lata sit. Cf. Varges l. c. p. 41 sqq. et Index legum in Ciceron. edit. Orell. Tom. VIII p. 274 sqq. Vox vero *senex* non semper aetatem extremam significat; interdum enim videntur scriptores minus respexisse aetatem hominum, quam tempus, quo vivebant. Cf. Passow. ad Pers. 1, 128. p. 358 sq. Varges l. c. p. 45.

Quam familiariter cum Scipione vixerit, iam vidimus. Neque minor erat consuetudo, quam cum Laelio habebat.[1]) Amici ei porro erant Sp. Albinus,[2]) L. Aelius Stilo,[3]) Q. Granius,[4]) M. Licinius Crassus,[5]) Archelaus, Vectius, Philocomus,[6]) alii.

II. De carminibus Lucilii[7]).

1. De carminum generibus.

Si sermo est de Lucilii satiris, dicendum est late patere hanc significationem. Nam non solum sunt carmina ad recensendos hominum mores composita, sed omnia, quae scripsit poeta, hoc communi nomine comprehenduntur. Quis vero huic carminum farragini nomen satirarum imposuerit, nescimus. Quam varium autem fuerit argumentum carminum Lucilianorum, nisi fragmenta iam demonstrarent, quodammodo colligi posset ex verbis Horatii sat. II, 1, 30 sqq.

---

1) Cf. Horat. sat. II, 1, 71 sqq.

2) Dous. fr. inc. 1.

3) Erat clarus grammaticus, magister Varronis; ei priorem satirarum librum Lucilius misit; cf. Rhetoric. ad Herenn. IV, 12, 18. (Dous. fr. I, 16.) Vossius de historicis Latt. Lugd. Bat. 1651. p. 31. O. Mueller ad Varron. d. L. L. V, 18.

4) Erat praeco, homo facetus et propter dicacitatem summorum virorum familiaris. Cf. Orell. Onomast. Tullian. p. 274. Dousa ad fragm. inc. 179. p. 108.

5) Cicer. de Orat. III, 43.

6) Sueton. de illustrib. grammat. c. 2.

7) De carminibus Lucilii egerunt Dousa p. 98 sq. Casaubonus: De satyrica Graecorum poesi et Romanorum Satira. Lib. II. cap. 3. Sagittarius l. c. Manso in: Nachträge zu Sulzers allgem. Theorie der sch. K. Tom. IV. sect. 2. p. 419 sqq. Rupert. in ed. Iuvenal. a. 1801. p. XCIII sqq.

Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris, neque si male cesserat, usquam
Decurrens alio, neque si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis.[1])

Cum igitur Lucilius omnes vitae suae varietates litteris consignaret, necesse est libris huius poetae carmina multa satirarum nomine proprie non significanda comprehendantur. Sine discrimine enim ullo unum carmen post alterum, sicut quodque e vitae suae conditione prodierat, composuit et in libros suos recepit. Ita in libro XXII invenimus epigramma, quo sepulcrum servi sui inscripsit. Argumentum libri noni videtur conformasse expositio orthographiae et aliarum rerum ad grammaticam pertinentium. Sed de omnibus his variis carminum generibus, quae communi satirarum nomine comprehenduntur, non est mihi in animo nunc verba facere. Ea potius poemata, quae quamvis satirarum libris comprehendi videantur, tamen non propriam satirae naturam prae se ferant, nunc recensebo. Quae testimonia de his prolata inveniantur, primum erit exponendum.

Commemoratur primum *Lucilius comicus* apud Fabium Planciadem Fulgentium in Expositione Sermonum antiquorum s. v. *Deleníficus* p. 567 edit. Nonii Mercer. a. 1826: *Delenificus, blandiloquus. Lucillius Comicus in Immolaria: Nescio quorsum mihi eveniant tua verba tam delenifica.*

Accedit aliud testimonium de Lucilio, comico poeta. Leguntur enim apud schol. Cruq. ad Horat. art. poet. v. 238 haec: *Pythias, persona comica in comoedia Lucilii, quae inducitur per astutias accipere argentum a Simone, domino suo, in dotem suae filiae.*

---

1) Schol. Horat. ad h. l. habet: *Dicitur enim Lucilius vitam suam scripsisse et non sibi pepercisse.* Videtur hoc esse commentum scholiastae, qui verba Horatii non recte intellexit. Nam vitam suam scripsisse Lucilium Horatius non dicit. Scholiastae vero interdum ex verbis scriptoris solis aliquid colligunt. Cf. Wieland. Interpret. German. Horat. sat. ed. 1801. Tom. II. p. 119.

Deinde commemorandum est testimonium Nonii s. v. *Eugium: Eugium media pars inter naturalia muliebria. Lucil. in Epodis Hymnis: Sine eugio ac destina.*

Denique afferenda sunt verba scholiast. Cruq. ad Horat. sat II, 1,16: *Si non potes gesta Caesaris scribere, potes iustitiam et fortitudinem, ut Lucilius Scipioni fecit, qui vitam eius privatam descripsit, Ennius vero bella.*

Videamus primum, quid de Lucilio comico sit statuendum. Ut testimonia nunc comparata sunt, facile inducor, ut Lucilium nullas comoedias composuisse putem. Verbis enim Fulgentii quominus fidem habeamus, impedit nos conditio libri Fulgentiani. Invenimus scilicet apud hunc scriptorem nimis multa vanae opinionis commenta atque falsa scriptorum nomina. Nam ex multorum Graecorum scriptorum libris affert Latina verba. Ita s. v. *Sandapila* habet verba Stesimbroti Thasii de morte Polycratis, Samiorum regis. Porro s. v. *Vispillones* Antidami Heracleopolitae Latina verba. Cf. s. vv. *Problema. Tutuli.* Affert porro nonnulla alia scriptorum nomina, quae frustra quaerimus. Etiam falsae verborum explicationes in libro insunt. Cf. s. v. *Sutela*, ubi dicit: *Sutelam dici volunt astutiam, quasi subtilem telam.*[1]) Quae cum ita sint, etiam testimonium de Lucilio comico propositum valde infringitur. Accedit, quod de Lucilio, comico Romanorum poeta, nihil traditum est praeter ea, quae scholiasta Cruq. l. c. narravit. De quo testimonio quid statuendum sit, nunc dicam. Ea, quae scholiasta affert, optime quidem ad argumentum comoediae pertinere possunt; sed nomen poetae mihi non verum videtur. Nusquam enim, ut iam dictum est, legitur quicquam de Lucilio, comico poeta, neque in eius fragmentis apparet ullum vestigium, ex quo de comoediis certi quicquam statui possit. Deinde si temporis, quo Lucilius vixit, rationem habemus, veri admodum est dissimile Lucilium comoedias composuisse. Hic enim poeta multo cum sale magnaque cum acer-

---

1) Cf. Jo. Nicol. Madvigii Opusc. acadd. Hauniae 1834. p. 28. Orell. ad Ciceron. Ep. ad Att. XIII, 21.

bitate vitia et ineptias aequalium suorum castigabat, ita quidem, ut in singulos graviter inveheretur eorumque mores describeret. Quid? Nonne id in satiris melius adeoque maiore cum vi efficere poterat, quam in comoediis? Non enim licebat poetis Romanis, sicut Graecis priscae Atticae comoediae, singulos per histrionis os perstringere eorumque nequitiam in theatro proferre. Comici igitur Romani, cum periculosum esset alios publice lacessere, magis in vitiis hominum infimi ordinis describendis et recensendis versabantur. Jam videmus hunc in campum Lucilium descendere non potuisse, quippe qui nemini parcendum esse putaret.[1]) Restat igitur, ut scholiastae testimonium aut prorsus reiiciamus, aut levi mutatione facta verum iudicemus. Quid? si pro *in comoedia Lucilii* legimus *in comoedia Caecilii.* Nomina enim *Lucilii* et *Caecilii* saepe commutata sunt. Cf. Caii Statii fragmm. ed. Spengel. Monachi 1829. p. 60. Schol. ad Iuvenal. sat. 3, 138. et ad h. schol. Schopen. Tom. I. p. 355 ed. Heinrich.[2])

Transeundum est ad testimonium Nonii s. v. *Eugium.* Verba *in Epodis Hymnis* de Lucilio intelligi non posse mihi persuasum est. Exponam igitur, quae mea sit sententia. Scripsit Menander, Graecus poeta comicus, fabulam, quae Ὑμνίς inscribitur.[3]) Imitatus est haud dubie Caecilius Statius, quem supra commemoravi, hanc Menandri fabulam.[4]) Leguntur autem *Hymnidis,* fabulae Caecilii, fragmenta apud Cicer. de finib. II, 7, apud Festum, Nonium, Diomedem et apud Charisium grammaticos.[5]) Apud Lucian. Dial. Meretr. XIII, p. 315 comperimus Hymnidem meretricis nomen fuisse. Cum quo nomine verba fragmenti, quod Nonius servavit, consentire videntur.

---

1) Cf. Iuvenal. sat. ed. Heinrich. Bonnae 1839. Tom. II p. 11.

2) Quantopere in scribendis nominibus propriis erratum sit, vix dici potest. Cf. de similium nominum commutatione disputantes G. Hermann. in Dissertat. de R. Bantleio. 1819. p. 17. Tom. II Opuscc. Langius: Vindiciae frag. Rom. Lips. 1822. p. 10 n. 12. p. 31. Weichert. Poetar. Latinor. vitae et reliqq. Lips. 1830. p. 90. O. Mueller ad Varron. d. L. L. V, 17.

3) Cf. Meinekius: Menandri et Philemonis reliqq. Berolin. 1823. p. 164 sq.

4) Cf. Meinek. Praef. p. XXXV.

5) Cf. fragmm. ap. Spengel. p. 23—25.

Jam Dousa Lucil. fragmm. p. 90 putavit locum Nonii corruptum atque de Hymnide, Caecilii fabula, sermonem esse. Notum est autem, quam saepe in libro Nonii lacunae inveniantur. Pauca addam exempla. Apud Non. p. 494 ed. Mercer. Lips. 1826. haec leguntur: *Varro de vita populi Rom. l. IV: Hortensius supra decem millia cadum heredi re. tollis medimnum, Vini mille cadum.* Videmus post syllabam *re* (haud dubie reliquit) orationem mancam esse. Leguntur autem s. v. *Cadi* haec: *Cadi, vasa, quibus vina conduntur. Lucil. l. XVIII: Millia ducentum frumenti tollis medimnum, Vini mille cadum.* Apertum est haec Lucilii verba eadem esse atque antecedentia. Videmus igitur post syllabam *re* aliquid supplendum esse, quod ad Varronis fragmentum pertineat, deinde autem nomen Lucilii. Aliud exemplum habes s. v. *frustatim, per frusta, ut minutatim. Pomp. Verre aegroto: Verum illi valent, qui luctantur cum leonibus. Et te obiectes frustatim passerinum prandium. Saturarum: Non frustillatim nec minutatim dari,* ubi non videmus, unde pendeat genitivus *Saturarum.* Had. Junius divisit haec verba interposito Lucilii nomine: *Lucilius Satyrarum: Non* etc. Multa similis negligentiae exempla conferri possunt. Cf. Non. s. vv. *Confidentia. Arquatus. Necessitudo. Expedire* etc. Ita etiam nostro loco ante *Epodis* et ante *Hymnis* nonnulla videntur excidisse. Magnam autem veritatis speciem habet ea opinio, qua ad vocem *Hymnis* intelligendus sit *Caecilius*, cum et nomen Hymnidis et verba a Nonio allata comoediam cognominem significare videantur. Pro *Hymnis* autem scribendum fortasse erit: *Hymnide.* Saepius enim librarii hoc vocabulum de *hymnis*, qui in laudem Deorum canuntur, interpretati sunt et *Hymnis* scripserunt pro *Hymnide.*[1]) Supersunt verba Nonii: *in Epodis.* De Lucilii Epodis vix quisquam cogitabit, cum de Lu-

1) Cf. Clericus, cuius verba Meinekius l. c. p. 164 affert: *Latine hanc fabulam reddiderat Caecilius, ut liquet e citationibus Festi et Nonii, apud quos tamen male legitur Hymnis quasi sexto casu* ὕμνοις, *cum legendum sit Hymnide, ut recte animadvertit Victorius V. L. I, 11.*

cilii poematis hoc nomine insignitis nihil notum sit. Ergo etiam ante *in Epodis* aliquid excidit. Jam videmus ex hoc Nonii testimonio vix certi quicquam de carminibus Lucilii statui posse.

Restat, ut verba schol. ad Horat. sat. II, 1, 16 consideremus. Dicit enim hic: *Si non potes gesta Caesaris scribere, potes iustitiam et fortitudinem, ut Lucilius Scipioni fecit, qui vitam eius privatam descripsit, Ennius vero bella.* Varges in Mus. Rhen. phil. Tom. III p. 50 sqq. conatus est hoc scholiastae testimonium evertere. Dicit enim p. 51: *Bella quidem quae et quomodo Scipio gereret quamque aliam rei publicae operam praeberet, annalibus atque aliis scriptis mandabatur, idque etiamsi Ennius non cecinisset, posteris innotuisset. At quae quis privatim fecit aut dixit, ea puto ne familiarum quidem commentariis nec laudationibus consignata esse.* Ad hoc probandum utitur teste Cicer. Brut. 16. Quaerit deinde Varges, quibus causis commotus Lucilius vitam Scipionis scripturus fuerit. *Ut recoleret memoriam eius, cuius nomen unusquisque id aetatis in ore atque animo habebat? An eum sperasse credideris, fore ut scriptor satirarum, quamvis celeberrimus, honore atque gloria augeret victorem Hannibalis?* Pergit deinde, ne id quidem recte statui posse Lucilium non tam de vita quam de virtutibus Scipionis exposuisse eiusque mentionem in satiras intulisse cum magnis incertisque laudibus consociatam, cum illae iam aptiore et illustriore in loco ab Ennio positae essent. His expositis verba scholiastae tamen explicari posse dicit; necesse enim non esse de Scipione maiore sermo sit, sed de Scipione minore. Neque librum singularem de Scipione compositum intelligi vult, sed eum a Lucilio variis satirarum locis laudatum esse. — Quae omnia mihi videntur speciosius quam verius disputata esse. Primum enim quod Varges negat ea, quae aliquis privatim fecerit aut dixerit, ne familiarum quidem commentariis nec laudationibus funebribus consignata esse: rationibus validis comprobare supersedit. Testimonio enim e Ciceron. Brut. c. 16 petito illa sententia non probatur: immo ex verbis huius loci: *ipsae enim familiae sua quasi*

ornamenta ac monumenta servabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam, facile effici posse videtur etiam in illis familiarum commentariis factam esse mentionem non solum rerum gestarum, quae ad rempublicam pertinerent, sed etiam privatarum.[1]) Nec quae de laudationibus funebribus sentit Varges, probari possunt. Nam apud Cicer. de orat. II, 11 commemoratur mulieribus quoque honorem laudationis concessum esse. Cf. Meyer. ad Brut. l. c. Liv. V, 50: *Matronis gratiae actae honosque additus, ut earum, sicut virorum, post mortem solemnis laudatio esset.* Quaero, num praeter maiores et ortum aliud quicquam commemorari posset, nisi quae in vita privata matrona dixisset aut fecisset. Quodsi carmina satirica respicimus, nonne ea, quae proferunt poetae satirici, maxime spectant ad privatam vitam, ad errores, cupiditates, ineptias, alia vitia? Non erit igitur causa, cur negemus fieri potuisse, ut quomodo ibi vitia hominum perstringerentur, singulari quodam carmine viri excellentis virtutes celebratae essent. Nec si quaerit ille vir doctus: *Ut recoleret* etc., eo quicquam efficitur. Mihi enim verba Horatii sat. II, 1, 16 nexumque sententiae antecedentis non satis perpendisse videtur Varges. Est autem totius loci sententia, ut opinor, simplicissima. Satiris Horatii multi Romani, quibus videbatur nimis acerbe cum de veteribus poetis iudicare, tum de aequalibus suis, offendebantur. Quaerit igitur Horatius ex Trebatio, illo iurisconsulto et Ciceronis amico, quid faciendum sit. Hic autem: *quiescas.* Respondet Horatius fieri non posse, ut scribere desinat. Suadet deinde ei Trebatius, ut facta Caesaris invicti scribat. Excusat se Horatius dicens deficere se vires tot bella atque victorias canendi. *Quid?* respondet Trebatius, *si bella describere non potes, cur non carminibus celebras virtutes Augusti?* Quae si quis accurate perpenderit, conce-

---

1) Libri de P. Scipionis vita conscripti commemorantur ab A. Gell. III, 4: *In libris, quos de vita P. Scipionis Africani compositos legimus etc.*

det, ut opinor, Trebatium non id suasisse, ut Horatius obiter in uno alterove carmine mentionem virtutum Augusti faceret: sed ut singulari carmine omnia describeret, quae Augustus non tam in bellis fecisset, quam iu gubernanda republica bene instituisset. Ut autem singulare quoddam carmen intelligamus, nos cogit nexus antecedentium versuum. Facta bellica atque victoriae singulari carmine eoque haud dubie epico describenda sunt. Tantas vero res se apte scribere posse negat Horatius:

neque enim quivis horrentia pilis
Agmina nec fracta pereuntes cuspide Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Parthi.

Cum igitur Horatius haec describere non posset, Trebatius ea suadebat, quae minores ingenii facultates desiderarent. Iam cum hae laudes illis carmine epico expositis opponantur, haec est causa, cur etiam laudationem minorum rerum carmine singulari faciendam esse statuam. Quae si probabiliter disputata sunt a me, non licebit de laudibus Scipionis obiter factis cogitare. Comparatio enim ita instituitur, ut Trebatius quasi ante oculos habere videatur librum quendam singularem Lucilii. Ita mihi verbis Horatii ipsis fulciri videtur testimonium scholiastae. Neque vero ex eo, quod nusquam carmen Lucilii nomine Scipionis inscriptum commemoratur, quicquam colligi posse videtur, ut Varges p. 52 vult. Erat hoc carmen inter satiras fortasse relatum; poterat etiam totum libri alicuius argumentum conformare, cui omnino inscriptio nulla erat; vel grammatici nomen, ut multa alia, neglexerunt. Disputatio autem mea de scholiastae verbis magnam accipit probabilitatem iis, quae Wielandus Interpret. German. Horat. Epp. ed. Lips. 1816. ad Ep. II, 1. praef. p. 18—39 disseruit.

2. De indole poesis Lucilianae.

Antequam satiram Lucilianam accuratius definiam, de Enniana pauca sunt monenda. Quid Ennius in satiris suis potissimum spectaverit, propter testimoniorum et fragmentorum paucitatem pro certo dici nequit. Nominatur autem Ennius ab

Horatio sat. I, 10, 66 *rudis et Graecis intacti carminis auctor* [1]). Intelligit igitur id satirarum genus, quod Lucilius et alii excoluerunt, i. e. satiram, quae nominari solet *didactica*. Propterea statuendum est Ennium satiras composuisse, quae legerentur, cum veteres satirae in scena agerentur[2]). Tota vero indoles atque forma non dissimilis videtur fuisse veteri Romanorum satirae. Ut enim in hac fere omnia subito et sine metro artificiose composito pronuntiabantur, ita ut certus ordo atque ratio verae fabulae non perspiceretur: ita etiam Ennius satiras videtur composuisse. Usus est forma diverbiorum [3]), et ut in fabula plures actus et scenae sunt: ita Ennius in una satira complura carmina laxiore quodam argumenti vinculo inter se cohaerentia in unum coniunxit [4]). Postquam exposui, quid sentirem de Ennianis satiris, accedam ad Lucilianas. Lucilius appellatur inventor satirae ab Horat. sat. I, 10, 48 [5]). II, 1, 63. Plin. H. N. praef. *qui primus condidit styli nasum.* Dicit Horatius Lucilium primum tales composuisse satiras, quales ipse scripserit. Quo testimonio indoles satirae Lucilianae aliquanto certius constituitur. Lucilius igitur naturam satirae Ennianae prorsus immutavit. Primum enim argumentum, quod apud Ennium varium atque mixtum erat, magis concinnavit artificioseque tractavit; deinde non miscuit varia metra in eodem carmine. Maximum autem discrimen in eo positum est, quod in satiris singulos homines acerbe perstrinxit [6]).

---

1) Varias horum verborum explicationes enumerat et recenset Weichert. l. c. p. 279 n. 7. Nuper K. Fr. Hermannus, Prof. Marburg., de hoc loco scripsit: *De satirae Romanae auctore ex sententia Horatii serm. I, 10, 66.* Libellum nondum legi.

2) Cf. Manso l. c. p. 414 sq.

3) Cf. Quintil. J. O. IX, 2. *Formas fingimus saepe ut Famam Virgilius, ut Voluptatem et Virtutem, quemadmodum a Xenophonte traditur Prodicus, ut Mortem ac Vitam, quas contendentes in satira tradit Ennius.*

4) Ita interpretanda esse puto verba Diomedis p. 483 Putsch. *Et olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur; quale scripserunt Pacuvius et Ennius.*

5) Cf. Orell. ad h. l. Tom. II p. 144.

6) Cf. Horat. l. c. Plin. l. c.

Iam quaerendum est, quibus potissimum causis commotus Lucilius hoc satirarum genus pertractaverit. Cum autem in nullum alium poetam vita atque mores aequalium maiorem vim exerceant quam in satiricum, de his primum breviter disputandum est. Notum est, quantopere prisca morum Romanorum integritas iam Lucilii temporibus corrupta fuerit. Maxima enim pars hominum gulae, luxuriae, aliis libidinibus indulgebat [1]. Veteri simplicitate atque castitate reiecta plerique id petebant, quod sensus titillaret. Tamen non omnes Romani spernebant pristinam virtutem [2]. Cum enim multi viderent se veteribus moribus reiectis etiam libertatem amissuros esse, omni contentione elaborabant, ut labes illa amoveretur. Unus ex his videtur Lucilius fuisse. Summa enim cum acerbitate etiam primores, qui maiorum rationem vivendi deseruissent, perstrinxit [3]. Itaque saepius vituperantur P. Rutilius Lupus [4], cf. Serv. Virg. A. X, 104. Dous. fr. I, 4. IV, 6. XXIX, 1, P. Gallonius, cf. Dous. fr. IV, 1, Cicer. de finib. II, 8, 24. 25 [5], L. Hostilius Tubulus [6], Q. Opimius, cons. a. u. 600 [7], Claudius Asellus, cf. Dous. fr. XI, 5, L. Aurelius Cotta, cf. Dous. fr. XI, 3 [8], alii [9]. Libere igitur atque impune, ut Graeci illi poetae comoediae Atticae [10], nulli parcebat, qui desereret patrum vitam atque virtutes, qui divitias captaret ad libidines exercendas, qui in loquendi facultatem omni studio incumberet.

---

1) Cf. Plutarch. Caton. c. 8. Meiners: Geschichte des Verfalls in Rom. p. 49 sqq.

2) Cf. Manso l. c. p. 443 sqq.

3) Cf. Horat. sat. 1, 10, 3. 4. II, 1, 62 sqq. Iuvenal. I, 165. Pers. 1, 144. Quintil. I. O. X, 1. Macrob. Saturn. II, 12. III, 16.

4) Cf. Horat. sat. II, 1, 68. Videtur fuisse L. Cornelius Lentulus Lupus, cons. a. u. 595. P. Rutilius Lupus, cons. a. 664, quem Horatii scholiasta vult, propter temporis rationem esse non potest.

5) Cf. Horat. sat. II, 2, 46.

6) Cf. Cicer. de N. D. I, 23, 63. III, 30, 74.

7) Cf. Non. s. v. *Famosum*.

8) Cf. Orell. Onomast. Tullian. p. 90.

9) Cf. Dous. p. 98.

10) Cf. Casaub. de sat. etc. p. 210 sqq. (in Crenii animadverss. philol. et histor.).

Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,
Blanditia certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.
(Cf. Dous. fr. p. 3.)

qui ea omnino peteret, quae virtuti non convenirent.

Severitas Lucilii etiam ex eo perspicitur, quod alios poetas vituperavit et emendavit [1]). Cf. schol. ad Horat. sat. I, 10, 53: *Comis Lucilius propter urbanitatem dicitur, et* *mutat* *pro eo, quod* *emendat* *positum est. Facit autem Lucilius cum alias, tum vel in tertio libro et nono et decimo.* Cf. A. Gell. [2]) XVII, 21: *Neque magno intervallo postea Q. Ennius et iuxta Caecilius et Terentius ac subinde Pacuvius* [3]) *et Pacuvio iam sene Altius clariorque tunc in poematis eorum obtrectandis Lucilius fuit.* Serv. Virg. A. XI, 601 (Dous. inc. 113). *Est autem versus Ennianus, vituperatus a Lucilio dicente per irrisionem debuisse eum dicere:* *horret et alget.* Quintil. I, O. I, 5: *Taceo de Tuscis et Sabinis et Praenestinis, quorum sermone utentem Vectium Lucilius insectatur.* Priscian. X, 9, 53 (Dous. fr. XIX, 8):

Rausuro tragicus qui carmina perdit Oreste.

Sed non solum Romanos poetas, verum etiam Graecos vituperavit. Cf. A. Gell. VII, 3: *Recte hoc vitio dat Lucilius poetae Euripidi* etc.

Attamen non ubique est acerbus aliorum iudex; immo valde laudatur eius lepor atque suavitas iocandi. Cf. Cicer. de orat. II, 6, 25. III, 42, 171. Nec desunt fragmenta, ex quibus illa festivitas [4]) cognosci possit. Cf. Dous. fr. inc. 4. 5. Magna

---

1) Cf. Naek. in Indice lectt. univers. Rhenan. Bonn. 18$\frac{23}{24}$. p. 4. 5.

2) Testimoniis Horatii et Gellii et Jo. Lydi de magistratib. Rom. I, 41. commotus Langius Vindicc. trag. Rom. p. 34 Lucilium inter παρῳδούς tragicorum referendum esse existimat. Ex Horatio vero et Gellio id non colligi posse quisque videt; de Lydi testimonio postea pluribus erit disputandum.

3) Ad vituperationem huius poetae recte, ut videtur, referunt Naek. l. c. p. 4 et Stieglitz. de Pacuvii Duloreste. Lips. 1826. p. 6. n. 10 fragmentum Lucilii, quod legitur apud Non. s. v. *Exordium*, Dous. fr. XXIX, 63:

Utrum tristis contorto aliquo ex Pacuviano exordio.

4) De festivitate Lucilii cf. Wieland. Interpt. German. Horat. satt. ed. 1801. Tom. I p. 148 sq.

cum venustate perstringit T. Albutium; cf. fragm. ap. Cicer. de finib. I, 3, 9. Dous. inc. 3. Artificiose interdum voces linguae suae, cuius accuratissimam habebat notitiam, adhibet [1]). Cf. Dous. inc. 12. Etiam ambiguis utitur vocabulis. Cf. Dous. fr. IV, 6 (Varron. d. L. L. VII, 47):

Occidunt, Lupe, saperdae te et *iura* [2]) siluri.

Huc etiam referendum est fragmentum, quod legitur apud Festum s. v. *Nequam* (Dous. inc. 39)[3]).

Cum locupletissimus de satira Luciliana testis sit Horatius, de hoc pauca seorsum sunt dicenda. Is enim de nonnullis superioris temporis poetis iudicium tulit. Sunt vero, quibus interdum acerbius iusto iudicavisse videatur, neque omnes viri docti probaverunt ea, quae de Lucilii poesi dixit. Antequam autem iudicium Horatii aut refeilatur aut probetur, mihi examinandum videtur esse, qua iudicandi et comparandi ratione in recensendis veteribus poetis usus sit. Metitur autem veterum poetarum carmina arte, quae suo ipsius tempore vigebat. Ita factum est, ut rudem et parum politam formam veterum poetarum improbaret. Nam studiis Graecarum litterarum ingenium suum excoluerat et artificiosa carminum compositione numerisque elaboratis Graecorum poetarum perspectis ea tantum laudabat, quae cum his congruerent. Propterea Lucilius quoque ab Horatio vituperatus est. Cf. Horat. sat I, 4, 9—12. 10, 1 sqq. 69 sqq. Formam igitur et exiguam operam, quam in componendis versibus collocavit, praecipue notat.[4]) Quod vero ad ingenium poetae attinet, Horatius iustam laudem ei tribuit. Laudat enim eius salem in notandis hominibus, sat I, 10, 3. 4. Fatetur se minore esse ingenio quam Lucilium, sat. II, 1, 75 et hunc sequi in componendis carminibus, sat. II, 1, 28—30.

---

1) A. Gell. XVIII, 5: *Lucilius adeo vir adprime linguae Latinae sciens.*
2) Cf. Passow. ed. Pers. p. 347 n.
3) Cf. O. Mueller ad h. l. in Supplem. ann. p. 387.
4) Cf. Weichert. Poetar. Latinor. vitt. et reliqq. p. 25 n. 4.

Videtur igitur satira Luciliana magnam habuisse similitudinem cum Horatiana [1]).

3. De argumento librorum.

Antequam argumentum librorum exponatur, a re non alienum est disquirere, unde Lucilius materiam satirarum scribendarum sumpserit. Qua in re dissensio est. Dicit enim Lydus de magistrat. Rom. I, 41: *Ῥίνθωνα καὶ Ἀσκήραν* [2]) *καὶ Βλέσον* [3]) *καὶ τοὺς ἄλλους τῶν Πυθαγόρων* [4]) *ἴσμεν οὐ μικρῶν διδαγμάτων* [5]) *ἐπὶ τῆς μεγάλης Ἑλλάδος γενέσθαι καθηγητὰς καὶ διαφερόντως τὸν Ῥίνθωνα, ὃς ἐξαμέτροις ἔγραψε πρῶτος κωμῳδίαν· ἐξ οὗ πρῶτος λαβὼν τὰς ἀφορμὰς Λουκίλιος ὁ Ῥωμαῖος ἡρωϊκοῖς ἔπεσιν ἐκωμῴδησε.* Dicit igitur Lydus Lucilium argumentum satirarum e Rhinthonis fabulis sumpsisse. Quid Rhintho in hilarotragoedia sua tractaverit, non satis liquet. Eichstadius de Dramate Graecorum comico-satyr. p. 44 putat Rhinthonis hilarotragoediam fuisse satyrici dramatis Graecorum imitationem et in scena actam esse. Osannus autem l. c. p. 72 suspicatur hilarotragoediam potius fuisse carmen cum gesticulatione recitatum quam fabulam veram artificioseque compositam. Hanc Osanni sententiam non tam improbabilem esse efficitur usu ver-

---

1) Etiam in singulis videntur Horatio Lucilii satirae ante oculos versatae esse. Multi enim versus Horatii habent magnam similitudinem cum fragmentis Lucilii. Cf. Dous. fr. inc. 16 cum Horat. sat. I, 1, 62, Dous. fr. inc. 23 cum Horat. sat. I, 3, 124 sq., Dous. fr. inc. 106 cum Horat. sat. I, 2, 32, Dous. fr. III, 9 cum Horat. sat. I, 6, 106, Dous. fr. VII, 5 cum Horat. sat. I, 5, 87, Dous. fr. XVIII, 1 cum Horat. sat. I, 1, 45, Dous. fr. XX, 9 cum Horat. sat. II, 8, 11, Dous. fr. XXX, 2. 3. 4 cum Horat. Epp. I, 1, 73—75.

2) Reuvens. Collectanea litter. Lugd. Bat. 1815. p. 77 coni. *Σκίραν*, qui est poeta comicus. Osann. Analectt. critt. Berol. 1816. p. 74 intelligit *Ἀρήσαν*, qui inter Pythagoreos censetur.

3) Osann. l. c. p. 74 cum Reuvensio legit *Βλαῖσον*.

4) Reuvens. l. c. vult *Φλυακογράφων*.

5) Reuvens. p. 72 accipit *δίδαγμα* de poemate scenico et coni. p. 77 *οὐ μακρῶν*. Prius probat Lang. Vindicc. trag. Rom. p. 51 not. K, sed pro *οὐ μακρῶν* rescribendum censet *κωμικῶν*.

suum hexametrorum dactylicorum; cf. Lyd. l. c. ὃς ἑξαμέτροις[1]) ἔγραψε. Utut statuitur de hilarotragoedia: ex illa Lucilium argumentum satirarum hausisse infitias imus. Satirae enim Lucilianae argumentum quam maxime Romanum continent. Accedit, quod poeta satiricus non facile recenset mores atque instituta aliorum populorum, cum minus tangatur ineptiis peregrinorum. Deinde argumentum hilarotragoediae etiam discrepare videtur a satira Luciliana, cum Stephan. Byzant. s. v. Τάρας dicat: 'Ρίνθων Ταραντῖνος φλύαξ τὰ τραγικὰ μεταῤῥυθμίζων εἰς τὸ γελοῖον. Erat igitur genus parodiae, quae dicitur, quo aliorum poetarum versus atque sententiae ad ridiculum argumentum detorquebantur. Cum vero in hilarotragoedia pleraque haud dubie essent iocose dicta, Lucilius hanc iocandi rationem imitatus esse potest; fortasse etiam versum hex. dactyl. ab illo mutuatus est; attamen hilarotragoediam esse fontem satirarum Lucilianarum mihi non probatur. Quid est enim, cur potius ad illam confugerit in componendis satiris, quam ad fontem Romanum?

Hic non silentio praetereundum est testimonium Horatii sat. I, 4. 1 sqq.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est etc.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosque secutus etc.

Ut enim poetae antiquae comoediae Atticae dissoluta licentia neque ulla lege impediti etiam virorum principum vitam et rei publicae instituta atque statum acerbe perstringebant: ita Lucilius illorum exemplo gravis censor atque castigator erat. Haec igitur imitatio aliorum poetarum magis ad externam satirae formam atque indolem spectat, cum poetae satirico argumentum e tempore, quo vivit, sumendum sit. Ita fit, ut in satiris velut in speculis mores atque instituta aetatis poetae cernantur [2]).

1) Reuvens. l. c. p. 84 sq. mavult intelligere versus iambicos. Sed vocabulum ἑξάμετρος per se solum potius dactylicos versus hexametros propter crebrum eorum usum, quam iambicos significat.

2) Quare non probare possum, quae Schober: De Atellanor. exodiis. Vratislav. 1830. p. 16. 17 dixit, Lucilium magis quam Ennium e veteri Romano-

Iam liceat ad argumenta librorum exponenda accedere. Est haec quaestio una ex difficillimis, propterea quod fragmenta Lucilii plerumque pauca verba continent, ita ut omnis sententiarum nexus sublatus sit. Grammatici enim, qui fragmenta servaverunt, tot verba afferunt, quot sufficiant ad id probandum, quod spectant, i. e. ad vocabulum aliquod singulare explicandum vel ad constructionem insolitam enucleandam; rarissime autem totam sententiam compluribus versibus comprehensam afferunt. Ita fit, ut de argumentis nonnullorum librorum nihil dici possit. Praeter fragmenta utendum erit etiam testimoniis ab aliis scriptoribus de argumento unius alteriusve libri prolatis.

Transeamus igitur ad argumentum primi libri definiendum. Argumentum eius aperit Servius ad Virg. A. X, 104: *Totus hic locus de primo Lucilii translatus est libro, ubi Dii inducuntur habere concilium et agere primo de interitu Lupi cuiusdam, iudicis in re publica, postea sententias dicere.* Quis fuerit Lupus, iam vidimus p. 16 n. 4. Multa in hoc libro fuisse, quibus Lucilius Deos et homines superstitione imbutos ludibrio habuerit, testantur verba Lactantii Divinar. Institt. IV, 3: *Itaque ut Iupiter a precantibus Pater vocatur, et Saturnus et Ianus et Liber et ceteri deinceps, quod Lucilius in Deorum Concilio irridet.* Num vero Concilium illud Deorum totum libri huius argumentum conformaverit, pro certo affirmari nequit. Nonnulla fragmenta de luxuria atque sumptibus effusis dicta sunt. Cf. fr. ap. Non. s. v *Popinones* (Dous. fr. I, 20):

---

rum satira, dramate illo, pendere et harum naturam ex Lucilii satiris perspici posse. Quamquam Ennii satiras non accurate novimus, tamen si ex aliorum scriptorum testimoniis quid colligere liceat, plane contrariam sententiam probaverim. Nam ex verbis Diomedis: *Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius,* videtur concludi posse multo magis Ennium esse illius dramatis incompositi imitatorem quam Lucilium, cum ille fabularum subitas atque inconsulte compositas et ad cachinnum spectatorum ciendum accommodatas sententias imitari, quam poema artificiose compositum et ad hominum mores perstringendos aptum facere maluerit.

Infamam, honestam [1]), turpem odisse popinam.

s. v. *Tunica:*

Praetextae ac tunicae Lydorum opu' sordidŭm omne [2]).

et s. v. *Amphitapa*:

Psilae atque amphitapae villis ingentibu' molles [3]).

Unum fragmentum videtur intelligi posse de epistola, qua volumen satirarum Aelio Lucio dedicavit; cf. Rhethoric. ad Herenn. IV, 12, 18 (Dous. fr. I, 16): *Quo in vitio* (verborum traiectione) *est Lucilius assiduus, ut hoc est in priore libro:*

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli.

Lib. II. Perstrinxit homines luxuriosos et inter hos praecipue Nomentanum. Cf. Dous. fr. II, 15. 10. 12. 17. Pertinet ad hunc librum fragmentum apud Non. s. v. *Lurcones,* quod apud Dous. fr. IV, 3 legitur.

Lib. III [4]). Argumentum exponit schol. ad Horat. sat. 1, 5, 1: *Lucilius lib. III. descripsit iter suum, quod Roma fecit Capuam et inde ad fretum usque Siciliense. Hunc imitatus Horatius iter suum ab urbe Roma descripsit Brundisium us-*

---

1) Edd. veteres (consului autem has septem Nonii editt.: Non. Marcell. de propr. serm. una cum Festo et Varronis libro de L. L. In fine libri hic titulus est: Nonii Marcelli Peripatetici Tiburticensis compendiosa doctrina ad filium de proprietate sermonum impressa Venetiis 1483.— Nonius Marcellus. Festus. Varro. Venet. per Bernard de Cremsne et Simonem de Luero. 1490. — Non. Fest. Varro. Venetiis per Anton. de Gusago Brix. 1498. (Ita tituli harum duarum editt. in catalogo biblioth. universitatis Vratislav. descripti sunt; libri ipsi carent titulis.)— Edit. Antverp. (Hadr. Junii) a. 1565. — Edit. Paris. 1583. — Edit. Gothofredi Paris. 1586. — Ed. Mercer. Lips. 1826.) ita legunt; Hadr. Junius legit *inhonestam,* quod necessarium est; *in* propter antecedens *m* facile omitti poterat. Mercerus habet *infamam,* quod codicibus commotus in textum recepisse videtur. Legendum igitur est: *Infamam, inhonestam.* Talis vero longitudo syllabae non sine exemplo est. Cf. Dous. fr. XXX, 6:

Virginis hoc pretiūm atque hunc reddamus honorem.

Cf. Schmidt. C. Lucilii satirarum quae de libro nono supersunt, disposita et illustrata. Progr. Gymnas. Frid. Werd. Berolin. 1840. p. 27 sq.

2) Cf. O. Muelleri Etruscor. Tom. I p. 260.

3) In editt. Venett. hoc fragmentum e libro III legitur.

4) Cf. Varges: C. Lucilii Satirarum quae ex libro tertio supersunt. Progr. Sedini. 1836.

que commemorans eius itineris incommoda, simul et facetam contentionem Sarmenti scurrae et Messii Cicerri. Revera maxima pars fragmentorum, quae a grammaticis et scholiastis libro tertio tribuuntur, ad descriptionem itineris optime referri potest. Restant tantum versus nonnulli, qui ad certamen gladiatorium referendi sunt. Cf. Non. s. v. *Bronci* (Dous. fr. III, 21) [1]) et Donat. ad Terent. Phorm. I, 3, 11 et schol. ad Iuvenal. 3, 158 et Heinrich. ad schol. Tom. I p. 355. Quamvis haec fragmenta argumentum prorsus diversum contineant, tamen ad itineris descriptionem pertinere videntur. Qua in re Dousa in not. ad fr. IV, 12 p. 117 verum haud dubie vidit; dicit enim ibi: *Et certe, ne quid dissimulemus, videtur Lucilius libro tertio Satyrarum potius inter alia itineris sui oblectamenta, quod Roma fecit Capuam, munus aliquod gladiatorium descripsisse, ad cuius imitationem maxime Horatius et ipse in itineris sui descriptione, quod ab urbe Roma Brundusium usque instituerat, Sarmenti scurrae pugnam Messique Cicerri retulisse videri potest.* Assentitur tacite Varges l. c. p. 1. — Restat, ut in argumento huius libri enucleando commemoremus schol. ad Horat. sat. I, 10, 53: *Comis Lucilius propter urbanitatem dicitur, et mutat pro eo quod emendat positum est. Facit autem Lucilius cum alias, tum vel in tertio libro et nono et decimo.* Quomodo autem in tertio libro Lucilius veteres poetas vituperaverit et emendaverit, decerni non potest, cum non habeamus fragmentum, ex quo aliquid colligi possit. Ceterum cf. p. 17.

Lib. IV. Argumentum huius libri indicant veteres Glossae in Pers. 3, 1: *Hanc satiram poeta ex Lucilii libro quarto transtulit castigantis divitum luxuriam et vitia* [2]).

---

1) Cf. Varges l. c. p. 18.

2) Dousa nonnulla fragmenta in hunc librum recepit, de quibus res non satis certa est. Fragmenta 1. 2. 11. 12 sine libri numero a Cicerone et Gellio afferuntur. Fragmentum 3 libro II, fragmentum 5 libro XX tribuendum est. Fragmentum 9 Donatus ad Terent. Phorm. V, 8, 95 libro II, Nonius autem s. v. *Lurcones* libro V tribuunt.

Lib. V. Argumentum libri quam maxime varium fuisse pro certo affirmare ausim. Lucilius gravi morbo implicitus erat; irascebatur magnopere amico, *quod ad se aegrotum non viseret;* cf. A. Gell. XVIII, 8. Tamen ei scribit, quomodo se habeat. Morbi gravitatem significare videtur fragmentum 6. Aliorum autem fragmentorum argumentum prorsus diversum est. Dicit enim Charis. I, 18, 18. p. 56 ed. Lindem. (Dous. fr. V, 13): *Lucilius in quinto deridens rusticam cenam enumeratis multis herbis:*

Intibu' praeterea pedibus perserpsit equinis.

Ad idem argumentum spectant fragmm. ap. Non s. v. *Cepe* (Dous. fr. V, 12. 14), s. v. *Mixtarium* (Dous. fr. V, 15), apud Priscian. X, 2, 10 ed. Krehl. (Dous. V, 17). Nec non ad descriptionem coenarum rusticarum videtur pertinere, quod dicit Charisius I, 18, 3 p. 53 ed. Lindem.: *Nam et Lucilius quinto adipatam dicit feminino genere, sed ubi iungit pultem.* — Alia denique fragmenta de scortatore intelligenda sunt. Cf. schol. Horat. sat. I, 2, 125: *Haec ubi supposuit dextrum corpus mihi laevo: quod et Lucilius ait in quinto: et cruribus crura dilaxat.* Ad eandem rem fortasse etiam fragmentum pertinet, quod ap. Non. s. v. *Lupari* (Dous. fr. V, 8) legitur ita:

et divos thure precemur
Consilium, fas si placent, tune impune *superbis* [1]).

Affert Nonius haec Lucilii verba ad vocem *Lupari* explicandam. Quae vox cum absit in fragmento, Scaliger pro *superbis* scripsit *luperis.* Qua in re ei fortasse assentiendum erit; reliqua verba corrupta sunt.

Lib. VII. Hoc libro Lucilius egit de re uxoria et amatoria. Id iam fragmentum demonstrat, quod Dousa primo loco posuit; servatum est a Nonio s. v. *Samium* [2]). Fere omnia reliqua fragmenta apte ad illud argumentum referri possunt.

---

1) Edd. Venett.: Consilium, fas si placet, tu ne superbis.

2) Heinrich., qui ad Iuvenal. 6, 154 hoc fragmentum citat, pro *amputat* false legit *computat.*

Lib. IX. Quin argumentum huius libri varium fuerit non est, quod dubitemus. Breviter tantum commemoro Lucilium primum de orthographia aliisque rebus ad grammaticam pertinentibus egisse [1]). Praeterea ex hoc libro versus nonnulli afferuntur, qui, cum in iis argumentum plane diversum inesse videatur, cum praeceptis illis cohaerere non possunt. Ita agit poeta de quaestu foedo et de avaritia; cf. fragm. ap. Non. s. v. *Rutrum* (Dous. fr. IX, 22), fr. ap. A. Gell. I, 16 (Dous. fr. IX, 25), fr. ap. Non. s. v. *Ramices* (Dous. fr. IX, 17 [2]). Nec non de Saliis et institutis quibusdam vetustis verba fecit. Cf. fragm. ap. Festum s. v. *Redantruare* et ap. Non. s. v. *Redantruare* (Dous. fr. IX, 28 [3]) et fragm. ap. Priscian. VI, 12, 67 (Dous. fr. IX, 27). — Videmus igitur, quam varium sit huius libri argumentum. Adiiciendum est denique testimonium scholiastae ad Horat. sat. I, 10, 53 dicentis Lucilium etiam in libro nono Attii versus emendasse.

Lib. XI. Hoc in libro inter alia etiam nonnullos nobiles Romanos non sine magna acerbitate perstrinxit. Cf. fragmm. ap. Non. s. v. *Famosum* (Dous. fr. XI, 1), s. v. *Damnare* (Dous. fr. XI, 2), s. vv. *Tricae* et *Lentum* (Dous. fr. XI, 3). Ad rem prorsus diversam spectant alia fragmenta. Aperte nonnulla fragmenta referenda sunt, ni fallor, ad tempus belli Numantini, in quo Lucilius eques militaverat. Leguntur enim ap. Non. s. v. *Meret* (Dous. fr. XI, 9) in tribus antiquioribus editionibus verba: *Annos his* (ed. Venet. a. 1483 *hic*) *orat tam plures. Miles hyberna vobiscum meret.* In edit. Antverp., quam curavit Iunius, legitur: *Annos hic errat iam plures miles hyberna*

---

1) Fragmenta XVII ad grammaticam pertinentia explicuit Schmidt. C. Lucilii Satirarum quae de libro nono supersunt, disposita et illustrata. Progr. Gymnas. Frid. Werd. Berol. 1840.

2) Huc libentissime etiam fragm. ap. Non. s. v. *Passum* (Dous. fr. IX, 24) referrem, si numerus libri certus esset. Editt. enim Venett. habent libr. XIX, reliquae librum IX. Etiam de fragmento, quod apud Non. s. v. *Componere* (Dous. fr. VIII, 2) legitur, res incerta est. Tres enim priores editt. legunt librum IX, reliquae lib. VIII. Pars eiusdem fragmenti ap. Non. s. v. *Fingere* legitur in editt. Venett. sine libri numero, in reliquis e libro IX.

3) Cf. Varges in Mus. Rhen. phil. l. c. p. 62—69.

Nobiscum meret. Hanc scripturam invenimus etiam in editt. Parisinn. a. 1583 et 1586. Palmerius coni.: *Annos hic terra iam plures miles Hibera Nobiscum meret.* Inveniuntur porro alia fragmenta ad bellum aliquod referenda. Cf. fr. ap. Non. s. v. *Spurcum* (Dous. fr. XI, 4), fr. s. v. *Rudus* (Dous. fr. XI, 8), s. vv. *Fulgere* et *Torques* (Dous. fr. XI, 7).

Lib. XIII. De epulis atque re cibaria poeta videtur locutus esse. Id demonstrari potest nonnullis fragmentis, quae in editionibus veteribus et Merceriana Nonii huic libro tribuuntur, a Dousa autem in librum XIV translata sunt. Cf. fragmm. ap. Non. s. v. *Ampliter* (Dous. fr. XIV, 9), s. v. *Epulum* (Dous. fr. XIV, 10), s. v. *Samium* (Dous. XIV, 11).

Lib. XVI. De argumento huius libri habemus testimonium scholiastae ad Horat. od. I, 22, 10: *Dum meam canto Lalagen, i. e. carmen in Lalagen amicam, eius compositum nomine. Sic et liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur, eo quod de Collyra, amica sua, scriptus sit.* Quale autem fuerit hoc carmen, definiri nequit. Unum fragmentum huius libri de epistola aliqua, quam Lucilius ad Fundium quendam, villicum scripsit, intelligendum videtur. Dicit enim Priscian. III, 1, 8 (Dous. fr. XVI, 5): *Lucilius in XVI ad Fundium: Fundi, delectat virtus te, villicus paullo strenuior si evaseris*[1]).

Lib. XVIII. De avaris et stultis hominibus scriptus est hic liber. Equidem puto Horatio in componenda satira prima libri primi ante oculos versatum esse hunc Lucilii librum, cum inter nonnullos versus utriusque carminis magna sit similitudo. Cf. fragm. ap. Non. s. v. *Cadi* (Dous. fr. XVIII, 1):

Milia [2]) dūcentum [3]) frumenti tolli' medimnum,
Vini mille cadum.

---

1) De inscriptione huius libri in cap. sequenti agendum erit.

2) De scriptura *mille* et *milia*, quam et Nonii editt. antiquissimae servant, cf. Obbarius in Zimmerm. Annalib. Darmstad. a. 1841. No. 55 p. 456. Haasii not. 314 ad librum: Reisig's Vorles. über Lat. Sprachwissenschaft. Leipz. 1839. p. 284.

3) De hoc vocabulo cf. Schmidt. l. c. p 6.

Quocum conferas Horat. sat. I, 1, 45:

Milia frumenti tua triverit area centum.

Porro fr. ap. Non. s. v. *Frunisci* (Dous. fr. XVIII, 4):

Aeque fruniscor ego ac tu.

et Horat. sat. I, 1, 46:

Non tuus hoc capiet venter plus quam meus [1]).

Lib. XX. De hoc libro quominus multa verba faciam, impedior paucitate fragmentorum. Videtur inter alia poeta etiam de coenis egisse. Cf. fragm. ap. Non. s. v. *Mictyris* [*Mictilis* ex emend. Scalig. (Dous. fr. XX, 3)]; s. v. *Nebulones* (Dous. fr. XX, 7). Nec non fragmentum commemorandum est, quod legitur ap. Priscian. IX, 9, 50 (Dous. fr. XX, 9):

Purpureo tersit tunc latas gausape mensas.

Cf. Horat. sat. II, 8, 11 [2]).

Lib. XXII. Varias res continere videtur hic liber. Fragm. ap. Non. s. v. *Praeficae* (Dous. fr. XXII, 1) versibus iambicis trimetris conscriptum est; agitur autem de more quodam in funeribus Romanorum consueto. Alio metro scriptum est fragmentum ap. Non. s. v. *Nasum* (Dous. fr. XXII, 4); est v. hex. dactyl., cuius exitus corruptus est. Nec non fragmentum ap. Non. s. v. *Labium* (Dous. fr. XXII, 3) videtur esse hex. dactyl. Tribuitur etiam epigramma, quo Lucilius sepulcrum servi sui inscripsit, huic libro. Cf. Donat. ad Terent. Phorm. II, 1, 57 (Dous. fr. XXII, 2): *Columella apud veteres dicti servi maiores domus. Lucilius XXII:*

Servu' neque infidus domino neque inutili' cuiquam,
Lucili columella, hic situ' Metrophanes.

---

1) Fortasse non nimis a vero recedam, si versibus Horatii respectis duo illa fragmenta Lucilii in unum coniungenda esse statuam:

Milia ducentum frumenti tolli' medimnum,
Vini mille cadūm: aeque fruniscor ego ac tu.

2) Liceat mihi errorem Dousae corrigere. Apud Non. s. v. *Priores* (Dous. fr. XX, 4) commemoratur lex Calpurnii Pisonis. Dousa in not. ad h. fr. p. 131 putat esse eam legem, quam C. Calpurnius Piso cons. de ambitu tulerit. Sed ratio temporis repugnat. Hic enim erat consul a. u. 687. Equidem puto intelligendum esse L. Calpurnium Pisonem, qui tribunus plebis legem de pecuniis repetundis tulit a. u. 605. Cf. Orell. Onomast. Tullian. p. 122 sq.

Posterior versus legitur etiam ap. Martial. XI, 90, 4. Scriptum est enim hoc Martialis epigramma in Chrestillum, veterum Romanorum poetarum praedicatorem:

Et tibi Maeonio quod carmine maius habetur:
Lucili columella hic situ' Metrophanes.

Lib. XXVI. In hoc libro magna argumenti varietas conspicitur. Videtur primum Lucilius depinxisse aerumnas vitae coniugalis nec non altercationem viri iurgantis cum uxore. Cf. fragm. ap. Non. s. v. *Offerre* et *Producere* (Dous. fr. XXVI, 1):

Hómines ipsi hanc síbi molestiam últro atque aerumnam
ófferunt,
Dúcunt uxorés, producunt quíbus haec faciant líberos.

Porro fragm. ap. Non. s. v. *Rogare* (Dous. fr. XXVI, 3):

Férri tantum sí roget me, nón dem, quantum aurí petit,
Sí secubitet, síc quoque a me quaé roget, non ímpetret.

Ad eandem rem pertinere videtur fragmentum ap. Non. s. v. *Impurus* (Dous. fr. XXVI, 61), quod ita legendum esse puto:

Cóniugem infidám, familiam fláccidam, impurám domum[1]).

De reliquis fragmentis difficile est certi aliquid statuere; magna enim sententiarum diversitas in iis conspicitur, ita ut quomodo singula coniungenda sint, decernere non audeam.

Lib. XXVII. Etiam in hoc libro inesse iurgium viri cum uxore vidit Mercerus p. 713 sq. ed. Lips. ad fragm. ap. Non. s. v. *Appellare* (Dous. fr. XXVII, 24):

Qúum mei me adeunt sérvuli, non dóminam ego appellém meam.

Adnotat Mercerus: *Caussatur ille non minus sibi licere adloqui dominam, quam servis suis licet adloqui dominum. Ex eodem libro habuisti supra* (ap. Non. *s.* v. *Aditus.* Dous. fr. XXVII, 20): *Quum pacem peto, quum placo, quum adeo et quum appello meam.* Ad idem argumentum vix unum reliquorum fragmentorum pertinebit.

1) Editt. Venett. habent: *Coniugem fidamque flacitam familiam impuram domum.* Reliquae editiones: *Coniugem infidamque, flacitam familiam, impuram domum.*

Lib. XXIX. Varias res hic liber videtur continere. Primum nonnulla fragmenta inveniuntur, quae apte ad rem amatoriam referri possint. Videtur enim iuvenis puellam amare eique promissa facere et domum intrare velle. Cf. fr. ap. Non. s. v. *Favitorem* (Dous. fr. XXIX, 40):

Favitórem tibi me, amícum, amatorém putes.

Fragm. ap. Non. s. v. *Anceps* (Dous. fr. XXIX, 47):

Vecte átque ancipiti férro effringat cárdines.

Porro fragm. ap. Non. s. v. *Caedere* (Dous. fr. XXVIII, 23), quod Iunius (edit. Antverp.) ex M S. ita constituit:

Caede óstium, grato[1]) úrge, restant, périimus.

Simile argumentum inest in fragm. ap. Non. s. vv. *Maestum* et *Remissum* (Dous. fr. XXIX, 18):

cohibét domi,
Maestús se Albinus répudium quod fíliae
Remísit

Ex reliquorum fragmentorum farragine ea tantum addam, quorum argumentum aperte diversum est. Cf. fragm. ap. Non. s. v. *Deletio* (Dous. fr. XXIX, 60):

Delétionem nóstri ad unum exércitus.

Fragm. ap. Non. s. v. *Habere* (Dous. fr. XXIX, 62):

Hoc tum ílle habebat ét fere omnem Apúliam.

Fragm. ap. eund. s. v. *Deiicere* (Dous. fr. XXIX, 61):

Detrúsus tota ví deiectusque Ítalia.

Videtur his fragmentis significari bellum Punicum secundum. Hannibalis quoque mentio fit; cf. fragm. ap. Non. s. v. *Accipere* [2]) (Dous. fr. XXIX, 13): *Sic, inquam, veteratorem illum vetulum lupum Annibalem acceptum* [3]).

---

1) Dousa *gnave;* cum Mercero legendum videtur *Gnatho.*

2) Ita legitur hoc fragm. in editt. Antverp. Parisiun. et Mercer. Venetae vero ita exhibent: *Lib. XXXVI. Sic inquam veteratorem illum veterem lupum Annibalem acceptum.*

3) Merula: Ennii fragmm. ed. Lugd. Bat. 1595. p. 454 — 463 nonnulla fragmenta congessit ad comprobandam suam sententiam, Lucilium Fabii

Lib. XXX. Etiam huius libri argumentum videtur varium fuisse. Non sine ratione Mercerus ad fragm. ap. Non. s. v. *Anima* (Dous. fr. XXX, 10):

atque animosam
Thessalam et indomitam frenis subigam ante domemque
Bellando

adnotat *videri altercationem fuisse viri et uxoris renuentis imperium viri.* Uxori tribuit fragm. ap. Non. s. v. *Subigere* (Dous. fr. XXX, 7):

Tune iugo iungas me ante et succedere aratro
Invitam et glebas subigas proscindere ferro.

Nonnulla alia eiusdem videntur argumenti esse. Cf. fr. ap. Non. s. v. *Volutari* (Dous. fr. XXX, 49):

Quid tu istuc curas, ubi ego oblinar atque voluter?

et s. v. *Servare* (Dous. fr. XXX, 50):

Quid servas, quŏ eam, quid agam? quid id attinet ad te?

Contra inveniuntur alia fragmenta, quibus illud argumentum haud facile tribuas. Cf. fr. ap. Non. s. v. *Haurire* (Dous. fr. XXX, 28):

Quantum haurire animus Musarum e fontibu' gestit.

Apud eundem s. v. *Ferre* (Dous. fr. XXX, 29):

Et sola ex multis nunc nostra poemata ferri.

Ap. eund. s. v. *Contentus* (Dous. fr. XXX, 60):

et
His te versibus interea contentu' teneto.

Sed haec sufficiant ad argumenta librorum singulorum definienda.

Maximi Cunctatoris historiam descripsisse. Speciosius quam verius omnia fere fragmenta explicuit. Est etiam propterea vituperandus, quod numeros librorum non respexit, sed contra editionum auctoritatem fragmenta complurium librorum in rem suam convertit. Neque ad metra animum satis attendit; nam versus hex. dactyl. et trimetros iamb. confudit.

4. De forma atque inscriptionibus librorum.

In nonnullis satiris videtur Lucilius formam fabularum imitatus esse, ita ut Ennium sequeretur. Interdum enim fragmenta allocutionem vel responsionem exprimere videntur. Cf. Dous. fr. XXVII, 49:

Hymnis, velim te id, quod verum est, credere.

Dous. fr. XXVIII, 49:

Hymnis,[1] ego animum sic induco etc.

Dous. fr. XXIX, 20: Certum scio esse ita, ut dicis; nam mihi erant de illo explorata omnia.

Dous. fr. XXIX, 52:

Surge, mulier, ducito filum non malum.

Dous. fr. XXVIII, 23:

Caede ostium: Gnatho, urge, restant, periimus.

Serv. Virg. A. I, 181. Dous. inc. fr. 140:

Ecquem Pamphilum quaeris?

Qui versus omnes fabulae speciem prae se ferunt aeque atque metra. Ad comoediam vero eos referre non audeo, quod de comoediis a Lucilio compositis nihil certi compertum habemus, neque est, cur non eos satiris tribuamus. Satirae enim forma interdum dramatica quodammodo est, ut apud Horat. sat. I, 5, 55 sqq. videmus [2]).

Inveniuntur porro carmina in epistolarum formam redacta [3]). Cf. Dous. fr. I, 16:

Has res ad te scriptas, Luci, misimus, Aeli.

Priscian. III, 1, 8 (Dous. fr. XVI, 5): *Lucilius in XVI ad Fundium* etc.

---

1) Fortasse haec duo fragmenta tribuenda sunt Caecilio, comoediarum scriptori, qui fabulam nomine Hymnidis insignitam composuit. Nomina enim *Lucilii* et *Caecilii* quam saepe commutata sint, iam vidimus. Cf. p. 10. Quod si verum est, apud Nonium pro *Lucilio* legendum est nomen *Caecilii*.

2) Cf. Heinr. ad Iuvenal. sat. 4. Tom. I p. 29.

3) Cf. Schmidt. C. Lucil. satirar. quae de libro IX supers. etc. p. 33. Heinr. ad Iuvenal. sat. 8 et 12 init.

Dous. fr. XXX, 60:

His te versibus interea contentu' teneto.

Cf. A. Gell. XVIII, 8 (Dous. fr, V, 1).

Unum etiam epigramma invenitur, quod imposuit sepulcro servi sui. Cf. Dous. fr. XXII, 2.

Iam videndum est de librorum distributione. Quot libros satirarum Lucilius composuerit, certo testimonio non declaratur. Videtur autem libros triginta numero scripsisse. Si enim librorum numerus multo maior esset, haberemus haud dubie etiam ex his unum alterumve fragmentum. Ex omnibus fere XXX libris fragmenta servata sunt. Apud Charisium ed. Putsch. p. 72 antea legebatur fragmentum e libro XLIII. Iam Dousa p. 99 suspicatus est illi numero alium substituendum esse, cum admodum mirum esset, si ex tot libris nullum fragmentum restaret, et fragmentum ipsum libro XXIII assignavit. Recte sensit Dousa, quamquam fragmentum non libro XXIII, sed XIV dandum est. In cod. enim Neapolitano et in edit. princ. Charisii[1]) numerus libri sic scriptus est: XIIII, h. e. *quarto decimo*. Lineola inferior aliquantum producta pro L legebatur et ita ortus est error. In edit. veterum poett. Latt. Henr. Stephani a. 1564 tria fragmenta (ap. Dous. fr. XXVI, 51. 68. 69) libro XXXVI, et duo (ap. Dous. fr. XXIX, 29. 46) libro XXXIX tribuuntur. In editt. Venett. non legitur fragmentum, quod ap. Dous. fr. XXVI, 51 est; reliquae editt. afferunt e libro XXVI. Alterum fragmentum, ap. Dous. fr. XXVI, 68, habent editt. Venett. e libro XXVI, reliquae (excepta Mercer.) e libro XXXVI. Tertium fragmentum, ap. Dous fr. XXVI, 69, legunt omnes meae editiones (excepta Mercer.) e libro XXXVI [2]). Duo denique fra-

1) Cf. Lindem. ad Charis. I, 17, 75.

2) Noli nimium tribuere huic editionum consensui. Quam saepe librarii in numeris scribendis erraverint, notum est. Exempla nonnulla ex Nonio afferam. Fragmentum, quod est ap. Dous. fr. XXVIII, 20, apud Non. s. v. *Locare* ex hoc quidem libro legitur; s. v. *Convenire* autem leguntur eadem verba e libro XXIX. Porro fragmentum, quod est ap. Dous. XXVII, 34, legitur ap. Non. s. v. *Caedere* e libro XXVI; s. v. *Verrere* autem e libro XXVIII electis tan-

gmenta, quae ap. Stephan. e libro XXXIX afferuntur, in omnibus editt. e libro XXIX leguntur.

Praeter hanc librorum distributionem alia videtur fuisse. Van Heusde, Disquisitio de L. Aelio Stilone, Ciceronis in Rhetoricis magistro, Rhetoricorum, ut videtur, auctore. Trai. ad Rhen. 1839 [1]) p. 38 putat satiras Lucilii primum in duos libros distributas fuisse. Utitur autem ad sententiam suam probandam his argumentis. Leguntur haec apud Auctor. Rhetor. ad Herenn. IV, 12: *Quo in vitio est Lucilius assiduus, ut hoc est in priore libro.* Quae verba de distributione satirarum in duos tantum libros facta intelligamus necesse est. Cum porro ap. Lactant. Div. Instt. IV, 3, verba: *Lucilius in Deorum Concilio* leguntur idque Lucilius in libro primo[2]) descripserit, et cum schol. ad Horat. Od. I, 22, 10 dicat: *Liber Lucilii decimus sextus Collyra inscribitur*: putat van Heusde duos satirarum libros fuisse, quorum prior inscriptus fuerit *Concilium Deorum*, alter *Collyra*. Qua in re id recte vidit van Heusde primum satiras in duos libros distributas fuisse. Eandem enim distributionem respicit quoque schol. Horat. sat. II, 1, 22: *Pantolabum scurram Nomentanumque poetam. Pro hominibus vilibus. Nomina sunt luxuriosorum, quos etiam in priore libro Lucilius carpsit* [3]). Quod ad hanc distributionem attinet, recte quidem sensit van Heusde. Attamen quod contendit duas solummodo fuisse inscriptiones, verum non est. De qua re postea postea videbimus.

Postquam igitur de numero librorum actum est, quaeritur, quid de singulis libris statuendum sit, de quorum forma nemo accuratius disseruit. Id enim vel maxime agitur, num singuli

---

tum verbis *pensum faciat*. Fragmentum ap. Dous. XXVIII, 1 legitur ap. Non. s. v. *Delenitus* e libro XXVIII, sed s. vv. *Concedere* et *Eligere* e libro XXIX.

[1]) Librum ipse non vidi; sententiam vero Heusdii cognovi ex recens. Lerschii in Zimmerm. Annalib. Darmstad. a. 1839. No. 51. Commemorat librum etiam Schmidt. l. c. p. I n. 1.

[2]) Cf. Serv. Virg. A. X, 104.

[3]) Cf. Lersch. l. c. Schmidt. l. c. p. 1 n. 1.

libri singulas satiras complexi sint, an plures satirae argumenta singulorum librorum conformaverint. Quae sane difficilis est quaestio neque ex solis fragmentis dirimenda, sed etiam testimoniis de satira Luciliana propositis utendum est. Mea quidem sententia plerique libri complures videntur continuisse satiras sive minora carmina, haud nimis dissimilia Horatianis. Quae sententia quibus rationibus comprobari possit, nunc videamus. In exponendis librorum argumentis iam vidimus, quam diversae res interdum in eodem libro legerentur. Non necesse est omnia hic repetamus. Id tantum moneo, num verisimile sit, in quo carmine poeta de orthographia aliisque praeceptis ad grammaticam pertinentibus disseruerit, in eodem eum etiam de avaritia atque luxuria locuturum fuisse. Quae argumenti diversitas in plerisque libris invenitur. Etiamsi in nonnullis libris recte suspicari possumus argumentum, si minus prorsus simile, tamen non ita mixtum fuisse, ut non unam satiram conformare potuerit: quid est, quod nos cogat de una satira cogitare? Nonne satirae complures eiusdem vel similis argumenti in uno libro inesse possunt? Sed false me iudicaturum esse sentio, si quae de plerisque libris recte, ut opinor, statuantur, ea de omnibus praedicem. Puto autem e ratione, qua Lucilii satirae apud Horatium atque alios commemorantur, aliquid certi colligi posse de satirarum Lucilianarum forma. Iam cum de indole satirae Lucilianae loquebamur [1]), vidimus magnam similitudinem et cognationem, quae est inter Lucilianam et Horatianam satiram. Cf. Horat. sat. II, 1, 28 sqq.

Me pedibus delectat claudere verba
Lucili ritu, nostrum melioris utroque.

V. 34 sequor hunc.

V, 62 sq. Quid? Quum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem.

Cf. Iuvenal. sat. 1, 19 sqq. Plin. H. N. praef. Denique conferamus testimonium Diomedis III, 2 p. 482 ed. Putsch. *Satyra*

1) Cf. p. 19.

dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucillius et Horatius et Persius. Et olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, Satyra vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. Lucilius igitur cum Horatio et Persio componitur eiusque satirae discernuntur ab Ennianis et Pacuvianis, cum in iis non varia carmina mixta essent. Quid est igitur, cur dubitemus, quin satirae Lucilianae forma atque compositio eadem fuerit atque Horatianae? Quid? Si more Ennii satiras varii et mixti argumenti variisque metris conscriptas composuisset Lucilius, nonne Horatius, quum tot verba de hoc poeta fecerit, etiam hoc commemoraturus fuisset? Immo vero cum Horatius dicat Lucilium esse satirae inventorem seque ipsum e Lucilio totum pendere eumque imitari [1]: nonne inter utriusque poesin summam et argumenti et compositionis similitudinem fuisse statuamus necesse erit? Quae sententia quamvis iam iis, quae modo protuli, satis defensa et comprobata videatur, etiam metrorum ratione confirmari potest[2]. In multis enim libris varia versuum

1) Imitationem commemorat etiam schol. Horat. sat. I, 5: *Lucilius libro tertio descripsit iter suum, quod Roma fecit Capuam et inde ad fretum usque Siciliense. Hunc imitatus Horatius iter suum ab urbe Roma descripsit* etc.

2) De metris pauca dicam. Longe maxima pars fragmentorum scripta est metro hex. dactyl. Scripti enim sunt hoc metro primi XX libri et liber XXX. In reliquis libris pauci tantum versus hex. dactyl. inveniuntur. Cf. Dous. fr. XXIII, 2. XXVII, 28. 30. Deinde usus est Lucilius versu iamb. trim. acat. Cf. Dous. fr. XXII, 1. XXVII, 48. XXVIII, 26. 27. 29. 30. 36. 39. XXIX, 1. 2. 22. 37. 46. 47. 59. 60. 61. 62. Porro vers. iamb. tetram. acat. Cf. Dous. fr. inc. 66. 74. XXVI, 18. (Cf. Schmidt. l. c. p. 14.) 19. XXVII, 2. 4. 12. 13. 16. 27. (ubi *modo* iambus est, cf. Schmidt. l. c. p. 12.) Vers. tetram. troch. cat. Cf. Dous. fr. inc. 7. 101. XXIII, 1. XXVI, 1. (Cf. Vargea in Mus. Rhen. phil. Tom. III p. 56.) 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 11. 16. 21. 22. 24. (Contra — bárbaro Viriato Annibāle — cf. Ling. Quaestt. Plautt. p. 75.) 25. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 36. 38. 39. 58. 59. 61. (cf. p. 28.) 66. 67. XXVII, 9. 18. (cum Hadr. Iunio *audeat* legendum est.) 20. 23. 24. 25. 27. 29. 31. 32. 36. 38. 40. 44. XXVIII, 7. 18. 19. 37. XXIX, 26. 28. 30. 32. 34. etc.

genera inveniuntur, Lucilius autem in eodem carmine uno tantum metro usus est. Cf. Diomed. l. c. Quibus omnibus demonstratur singulis libris plures comprehendi satiras. At aliquis dixerit nusquam unam alteramve satiram simul cum libri numero, sed semper numerum libri solum a grammaticis citari. Responderi potest grammaticos fere ubique non numerum singulorum carminum, sed librorum citare. Accedit, quod semper hanc invenimus significationem; *in primo, secundo ...... satirarum libro*, nusquam autem *in prima, secunda .... satira*, quod interdum haud dubie factum esset, si singulis libris singulae satirae comprehenderentur.

Restat, ut quomodo carmina in formam librorum redacta sint, explicem. De ratione, qua Lucilius in componendis carminibus usus sit, verba facit Horatius sat. II, 1, 30 sqq. Cf. p. 7 sq. huius libelli. Quae si vera sunt, apparet in libris Lucilii non solum satiras, sed carmina diversissimi argumenti atque formae inesse. Haec carmina continenti scriptura, ut videtur, primum connexa grammatici postea retractarunt et commentati sunt. Cf. Sueton. de illustrib. grammatt. cc. 2.[1]) 14. Hi videntur etiam totam illam carminum farraginem in libros distribuisse.

Videmus igitur in multis libris versus variis metris conscriptos inveniri. Ita in libro XXIII vers. troch. et dactyl., in lib. XXVI vers. troch. et iambic. In libro XXVII v. hex. dactyl. cf. fr. 28. 30, v. iamb. tetram., cf. fr. 2. 4. 12. etc. et v. tetram. troch. Eadem ratione in libris XXVIII et XXIX diversa metrorum genera inveniuntur.

[1]) *Hactenus tamen imitati, ut carmina parum vulgata vel defunctorum amicorum, vel si quorum aliorum probassent, diligentius retractarent ac legendo commentandoque etiam ceteris nota facerent: ut C. Octavius Lampadio Naevii Punicum bellum, quod uno volumine et continenti scriptura expositum divisit in septem libros: ut postea Q. Vargunteius annales Ennii, quos certis diebus in magna frequentia pronuntiabat: ut Laelius Archelaus, Vectius, Quintus Philocomus Lucilii satiras, familiaris sui, quas legisse se apud Archelaum Pompeius Lenaeus, apud Philocomum Valerius Cato praedicant.* In cap. 14 commemorantur libri Curtii Niciae de Lucilio conscripti. Commentariorum in Lucilium scriptores commemorat etiam A. Gell. II, 24: *In quo erraverunt quidam commentariorum in Lucilium scriptores.*

Postquam exposui, quid de forma satirarum statuendum esset, reliquum est, ut inscriptionum mentionem faciam, cum haec quaestio arctissime cohaereat cum expositione argumenti atque formae. Iam supra monitum est, quid van Heusde de inscriptionibus librorum Lucilianorum sentiret. Commemoranda nunc est sententia Lerschii: „Beiträge zur römischen Litteraturgeschichte,“ in Zimmerm. Annalib. Darmstad. a. 1837. No. 128. 129, qui putat omnibus libris Lucilii inscriptiones fuisse. Verba eius apponam: Was den Saturenschreiber Lucilius betrifft, so haben wir über ihn zwei bestimmte Andeutungen. Die erste ist bei Arnob. adv. gentes II, 6: Fornicem Lucilianum et Marsyam Pomponii obsignatum memoria continetis; wo Orelli ganz richtig bemerkt: Fornix videtur fuisse titulus incerti satirarum libri. Ganz unzweifelbar aber wird die Sache durch Porphyr. z. Horat. Carm. I, 22, 10. Wir können mithin als ganz sicher annehmen, daß sämmtliche Bücher des Lucilius, jedes einen eigenen Namen, der von der inneren Eigenthümlichkeit des Stoffes hergenommen war, führte etc. Celerius mihi videtur Lerschius indicasse. Habemus enim de inscriptione solius libri XVI testimonium, quamquam etiam hic, cum inter fragmenta, quae ex hoc libro afferuntur, nullum sit, quod apte de carmine amatorio explicari possit, res non omni dubitatione carere videtur. Accedit, quod ratio, qua haec inscriptio a scholiasta commemoratur, dubitationem quandam nobis iniicit. Nam apud Horatium Od. I, 22, 10 leguntur verba: *Dum meam canto Lalagen*, quae scholiasta ita explicat: *i. e. carmen in Lalagen amicam, eius nomine compositum. Sic et liber Lucilii decimus sextus Colliyra inscribitur, eo quod de Collyra, amica sua, scriptus sit.* Quae verborum Horatianorum explicatio non satis apta est, cum de singulari carmine Lalages nomine inscripto sermo non sit. Attamen extrema scholiastae verba vera esse posse non negaverim.

Deinde si commemorat Arnobius adv. gentes II, 6 *Fornicem Lucilianum*, poterat *Fornix* esse inscriptio satirae; libri autem totius inscriptio non nisi ea conditione esse poterat, ut hic liber unam satiram conformaret aut plures eiusdem argumenti. Re-

pugnaret enim rationi inscriptionum faciendarum, si libro argumenti varii atque mixti nomen imponeretur, quo pars tantum huius libri significaretur. Sed fortasse *Fornix* non erat vera inscriptio, ex Arnobii saltem verbis id colligi non potest. Lucilius enim videtur fornicem sive lupanar in satira aliqua copiose descripsisse, ita ut cuique eius satirae argumentum notum esset. Qua de re si quis de *Fornice Luciliano* loquebatur, quisque intelligebat hoc carmen, cuius argumentum totum in illa descriptione versaretur. Iam videmus non necesse esse liber nomine *Fornicis* insignitus fuerit. Idem cadere videtur in Pomponii *Marsyam*.

Si Lerschius l. c. ita pergit: Wir bedürfen nun kaum noch den Velius Longus p. 2227 in ähnlicher Weise zu deuten: nec aliter apud Lucilium legitur in praepositione *Per*. — So war gewiß eines seiner Bücher *Orthographia*, ein anderes *Scipio* überschrieben: non omnia recte statuit. Nam librum aliquem inscriptionem habuisse: *Praepositio Per*, infitias imus. Pertinebant haec, quae Lucilius de praepositione *Per* docebat, ad praecepta grammaticae, quorum expositio argumentum libri noni conformabat. — Si porro apud Lactant. Div. Instt. IV, 3 legimus verba: *quod Lucilius in Deorum Concilio irridet*, non opus est statuatur fuisse libri alicuius inscriptionem: *Deorum Concilium*. Argumentum etiam tale esse poterat, ut si quis nominaret Lucilii *Concilium Deorum*, quisque de certo carmine cogitaret. Videmus igitur, quibus testimoniis Lerschii sententia tam confidenter pronuntiata nitatur. Res valde est dubia, cum certum de inscriptionibus satirarum Lucilianarum testimonium desit.



THESES.



1) Fragmentum Lucilii apud Non. s. v. *Deductum* (Dous. fr. XXVI, 65) legendum est:

   Illuc oculi *dúcunt* ipsi atque ánimum spes illúc rapit.

2) Coniecturam O. Muelleri ad Varron. d. L. L. V. 80 *antidire* pro vulgat. *ante praeire* non probo.

3) Satirae inventio Romanis adiudicanda est.

4) Aeschyl. Choeph. vv. 150—161 ed. Well. conformant *ἀνομοιόστροφον*.

5) Sophocl. Antig. v. 841 ed. Herm. retinenda est librorum lectio:

   πρὸς ἔργμα τυμβόχωστον.



VITA.



Natus sum *Fridericus Henricus Augustus Petermann* Vratislaviae d. IV. m. Augusti a. MDCCCXVIII patre *Iacobo Henrico*, matre *Rosina* e gente *Ernestiana*. Primis litterarum elementis imbutus traditus sum annos XII natus gymnasio Magdalenaeo. Inter viros excellentes, quorum institutione tunc uti mihi licebat, inprimis nominandi sunt *Schoenborn*, director, qui et doctrina sua et magna benevolentia de me optime meritus est; *Klossmann*, *Glocker*, *Ruediger*, *Noesselt*, *Koecher*, *Held*, nunc gymnasii Suidnicensis director. Testimonio maturitatis accepto adii hanc litterarum universitatem et d. XXIX. m. Septembris a. MDCCCXXXVII. V. Cl. *Bernsteinio* rectore magnifico adscriptus sum ordini philosophorum. Ibi per quattuor annos frequentavi horum virorum clarissimorum scholas: philologicas *Schneideri*, *Ritschelii*, *Ambroschii*, *Haasii*; historicas *Stenzelii*, *Hoffmanni*, *Schoenii*, *Kutzenii*; philosophicas *Branissii*, *Elvenichii*, *Rohovskyi*, *Thilonis*; physicas *Gravenhorstii*; mathematicas *Scholtzii*; theologicas *Schulzii*, *Knobelii*. Praeterea mihi contigit, ut per biennium ad exercitationes seminarii philologici, quod floret ducibus *Schneidero* et *Ambroschio*, viris et eximia doctrinae copia et consiliis privatis de me egregie

meritis, admitterer. Commemoranda est etiam magna benignitas *Stenzelii*, V. Cl., cuius exercitationibus critico — historicis per biennium interfui. Nec non magnopere mihi profuerunt exercitationes, quas *Kutzen*, V. Cl., de rebus historicis et geographicis instituebat. Neque immemor esse possum magnae humanitatis, qua *Haase*, V. Cl., me, quotiescunque eum domi adii, excepit.

Qui omnes viri praeclarissimi mihi semper grato animo colendi erunt.

